



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

De S. Pappo Post Priten Confessore In Cambria

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

*Monachi
cuiusdam
impie dicta
plectuntur.*

4. Frater quidam longa infirmitate decoctus a fratribus rogatur¹ ut sanctum Benignum pro salute sua exoraret; qui ita respondit: « Re enim² vera, sicut michi prodesse non valet, ita nec michi nocere³ potest. » Cumque sopori membra dedisset, apparuit ei sanctus Benignus, candidis vestibus ornatus, qui quasi indignans sic eum affatur: « Quid nunc tibi, » ait, « de Benigno servo Dei videtur, frater? Quid tibi de duobus credi⁴ potissimum sit, an cum⁵ sanctis in regno gaudet, vel cum impiis in penis torquetur? » Et cum ille⁶ respondere non auderet, comminando hoc intulit sanctus: « Cum secreta Dei iudicia humane fragilitatis ingenio comprehendi nequeant, cur michi derogasti? Quare me blasphemare voluisti? Ecce enim graviorem quam

hactenus passus es infirmitatem et molestiam D invitus sustinebis, eo quod verbis inanibus michi irridendo detraxisti. Ceteri quoque quos me in⁷ derisum habuisse cognosco, illum⁸ maxime qui dentem meum furto abstulit, nisi penitentiam agendo respuerint, penis cum impiis amaris se torqueri cognoscant. » Hiis dictis, alapam ingentem in faciem eius dedit. Et mox expergefactus a sompno, quem ante despererat tunc timere et venerari cepit; diris tamen correptus febribus per totum annum liberari nequivit. Quod cum per ordinem abbas et fratres audissent, dens a fratre receptus in locum suum restituitur, et laudes et gratie ab omnibus Deo et sancto eius referuntur (1).

*Dens
Benigni
surreptus
restituitur.*

4. —¹ rogatur corr., prius rogat (?) 1. —² et-enim 2. —³ non add. 2. —⁴ crede edit. —⁵ om.

2. —⁶ ita edit.; illi 1, 2. —⁷ om. edit. —⁸ sic codd.

(1) Unus codex Tiberius E.I refert orationem S. Benigni, in margine inferiore, prima manu: « Omnipotens sempiterna Deus, qui mirabiliter fulges in electis tuis, quos te habitatore glorificare voluisti, concede nobis quaesumus, beati Benigni ita depositionem venerari ut eius suffra <gan-

tibus meritis templum tuum mereamur fieri >. » Mutilum apographon nobis supplevit v. cl. T. R. Gambier Parry ex *The Sarum Missal*, ed. J. Wickham Legg, operam conferente eodem T. R. Gambier Parry (Oxford, 1916), p. 318, in festo S. Bertini abbatis.

DE S. PAPPO POST PRITEN

CONFESSORE IN CAMBRIA

SAEC. VI

*Memoria
S. Pappo
quo die
indicta.*

1. S. Pappo rex et confessor, cognomine Post Priten (1), id est latine columen, firmamentum, praesidium Pretaniae (2), memoratur V id. nov. tum in calendario Cambrensi, quod se descripsisse dicit Eduardus Williams, alias bardico nomine Iolo Morganwg, e codice manu scripto circiter annum 1500 (3); tum in calendariis quae praefixa sunt nonnullis fastis cynrice impressis saec. XVIII; tandem in Llyfr Plygain, qui bis editus est an. 1618 et 1633, et in opere Allwyd neu Agoriad Paradwys i'r Cymrv, quod in usum catholicorum cynrice scientium typis mandatum est Leodii an. 1670 (4).

2. E qua stirpe fuerit ostendunt antiquae genealogiae cynricae, quae si ad normam criticam editae fuissent (5), forsitan ad ipsa initia saeculi V nos satis tuto perducerent. Et re quidem vera de sanctis illis quorum Acta periere, si unquam scripta fuerunt, stemma plerumque nobis servatum est, quod haud scio an tota illorum historia sit. Nobis conandum est ut in tam opaca silva aliquid perspiciamus.

*Eius
prosapia,*

Primo igitur in cod. Musei Britannici Harleiano 3859, de quo iam diximus (6), traditur fuisse Pappo map Ceneu map Coyl Hen (7). In hoc eodem fonte atavi S. Pappo nominatim recensentur usque

*quam alii
aliunde
deduxerunt,*

(1) Nomen et cognomen ita scriptum invenimus in cod. Harl. 3859, exarato, si auctoribus nostris fides tribuenda est, circiter an. 1100. Hunc edidit post W. F. Skene vir cynrice scientissimus J. Loth, *Les Mabinogion*, ed. 2, t. II (Paris, 1913), p. 326-48. At recentiore aetate vix unquam scribitur nomen nisi Pabo; cognomen autem alii aliter exhibent: Prydain, Prydein, Prydyn, Bryd-, cet. Antiquiorem modum servare maluimus. — (2) Pretaniam dicimus, pro verbo Priten, ad similitudinem graeci nominis τῶν Πρετανικῶν νήσων. Cf. d'ARBOIS DE JUBAINVILLE, *L'Île Prélatique*, in *Revue Celtique*, t. XIII (1892), p. 398-403; cui assenserunt vv. cl. Alfred HOLDER, *All-celtischer Sprachschatz*, t. I (Leipzig, 1893), col. 552, et nuper J. Loth in *Revue Celtique*, t. XXVI (1915-16), p. 123. Nostrum non est proprios fines regionis indicare cui praesidium fuisset Pappo rex; adeo incertum est, et qua aetate hoc cognomen nomini Pappo adiectum sit, et quo tempore verbum cynricum Priten usurpari coeptum sit non iam de universa Britannica insula, sed de illius tantum parte

boreali. Ceterum praeter Pappo regem, alii etiam fuerunt cognomine Post Priten insigniti. Adis Baring-Gould and Fisher, *The Lives of the British Saints*, t. I, p. 38, annot. 3, qui locos duos afferunt e poetis antiquis. Huic etiam simillimum est cognomen illud Post Cad Ynys Prydein, i.e. columen, firmamentum, praesidium insulae Pretanicae, quod legitur inter Triades insulae Pretanicae in Libro Rubro de Hergest. J. Loth, *Les Mabinogion*, t. c., p. 258 (ipsam editionem hic Bruxellis non habemus) et in *The Myvyrian Archaeology of Wales*, ed. altera, p. 407, col. 2, num. 71. At verba Post Cenedl (ibid., p. 400, col. 1 et 2, num. 4) interpretanda esse videntur potius « fons et origo generis seu gentis ». Haec ut ostendamus S. Pappo cognomen, quod in carminibus non est insolitum, sonitu potius quam sensu valere. — (3) Edw. Williams, *Iolo Manuscripts*, p. 152. — (4) Baring-Gould and Fisher, t. c., pp. 67, 68-69, 75; t. IV, p. 39. — (5) Quod opus qui perfecit indicesque plenos confecerit, is de cynrica hagiologia meritis erit optime. — (6) Vid. supra annot. 1. — (7) J. Loth, ad

A ad decimam septimam generationem. Ex his quae nomina certa sint, quae dubia, operae pretium non est inquirere (1).

2° In brevissimo illo sed, ut videtur, perantiquo, tractatu Bonedd Gwyr y Gogledd, « De genere virorum septentrionalium »: Pabo Post Prydain ab Arthwys ab Mar ab Keneu ab Coel (2).

3° Ab isto non multum recedit codex Thomae Hopcin (circa an. 1670), e quo hoc habetur excerptum inter Iolo Manuscripts: Pabo Post Prydain ab Arthwys ab Mor ab Morydd ab Ceneu ab Coel Godebawc (3).

4° E codice Henrici Rowland, alias Rowlands, rerum in Mona insula et gestarum et numquam gestarum scriptoris notissimi, sive etiam probabilis ex eius opere Mona Antiqua Restaurata, exscripsit anno 1760 Ludovicus Morris inter cetera genus S. Pappo, quod typis mandatum est ex eius apographo: Pabo post prydain ap Arthwys ap Mar ap Ceneu ap Coel godhebog (4).

5° Tandem e longo libro Thomae Truman exscripsit Iolo Morganwg anno 1783: Pabo Post Prydain (ap) Arthwys ap Mor ap Ceneu ap Coel Godebawc (5).

B restituitur. 3. Fatemur nobis non esse perspicuum unde Morydd in stemma tertium inter Mar et Ceneu irrepperit. Qui recentioribus temporibus de generibus sanctorum Cambrensiū disputarunt Morydd quendam inter filios Mari reponere solent, quippe qui fuisse videatur frater Arthwysi (6). Idem enim quod in stemmate tertio, legitur in stirpe Gwrgi et Peredur, inter Iolo Morganwg collectanea (7); verum in tractatu Bonedd Gwyr y Gogledd, de quo iam dictum est, in stirpe eorundem Gwrgi et Peredur (8) omittuntur et Mar et Morydd. Non absimile est quod accidit in primo stemmate sancti Pappo, quamvis proxime, et ante et post, nullo intervallo, in eodem tractatu Mar ter obvium habeamus (9). Quae cum ita sint, salvo eorum qui aliter senserint vel sentiant iudicio, verius nobis esse videtur stemma quod scripsimus numero secundo, cui congruunt quartum et quintum. Idem arbitratos esse et curiosum virum

C Rice Rees et diligentes exploratores antiquitatum cymricarum, S. Baring-Gould et J. Fisher, patet ex iis, quae construxerunt, stemmatibus gentili-

cis (10). Sed iam diutius in re obscura et perplexa D haesimus.

4. Quando vixerit S. Pappo, colligi potest ex Annalibus Cambriae (11), in quibus scriptum est anno 595 obiisse Dunaud (12), filium Pappo. Vix quidquam praeter hanc temporis notam, memoriae traditum est de S. Pappo. Haec tantum exscripsit Iolo Morganwg e longo libro Thomae Truman (13):

Pabo Post Prydain oedd frenin yn y Gogledd, ag efe a yrrwyd oi wlad gan y Gwyddyl Ffichti, ag a ddaeth i Gymru, lle y cafas Diroed gan Gyngen Deyrnllwg, mab Cadell Deyrnllwg, a chan ei fab ef Brochwel Ysgithrawe (14). Latine: Pabo Post Prydain rex fuit in partibus septentrionalibus, qui cum regno pulsus esset a Gadelicis Pictis, venit in Cambriam; ubi terras accepit a Cyngen Deyrnllwg filio Cadell Deyrnllwg, et a filio illius (Cyngeni), Brochwel Ysgythrog. Intellege regem Pappo in ea quae nunc est extrema Anglia, haud procul a finibus Scotiae (non, ut quibusdam videri potest, in Cambria septentrionali), infausto bello, a Gadelis Pictisve (nobis quidem incertum est, neque refert; sed profecto ab hostibus aliis atque Germanis illis Anglis Saxonibusque) sedi-

E bus avitis esse expulsus. Eum excepit in Cambria Cyngen, rex Powys regionis, quae tunc Sabrina et Conwy fluminibus videtur esse terminata (15). Num iam tum uxorem liberosque habuerit S. Pappo, utrum adulescens an senex res adversas exsiliumque expertus sit, nemo hactenus rescire potuit. Tandem saeculi curas perosus et regni, vitam sanctiorem capessivit atque eo consilio, ut solebant illius saeculi viri nobiles ad pietatem conversi, monasteria plurima variis in locis condidit suoque nomine insignivit. Notatu dignum est ea omnia S. Pappo monasteria quae novimus non in Powys esse sita, sed in Gwynedd, quae Venedotia latine dicitur; iacet haec regio ab occidente Powys. Eius modi coenobia sunt: Llanbabo in Mona insula; abest fere sex milia passuum ad meridiem a Llanbadrig, qui portus est in litore septentrionali insulae (16). Llanbabo haud procul a Lacu S. Paterni (Llyn Padarn) in comitatu Carnarvon. Pabo viculus, collis et sedes sunt loca in parochia F Llangystenin, prope Conway, in eodem comitatu (17).

Qua aetate vixerit,

quid egerit,

quae monasteria condiderit.

t. c., p. 336. Cymrice map (seu mab, ap, ab) significat latine filium. Vide exempli gratia genealogias patriarcharum in *The History of Gruffydd ap Cynan*, ed. Arthur Jones (Manchester, 1910), p. 104 (= *Manchester University Publications, Historical Series, No. IX*): Iaphet mab Noe Hen, mab Lamech, mab Mathusalem, cet. — (1) Vide J. Loth, t. c., p. 335-36. Si quis autem S. Pappo originem iam inde ab huius orbis primo exordio deducere cupiat, conferat ea quae edidit A. Jones, l. c. — (2) Tractatum illum edidit primus W. F. Skene, *Four Ancient Books of Wales*, t. II, p. 454-57. Quod opus cum Bruxellis nobis praesto non sit, usi sumus gallica interpretatione J. Loth, t. c., p. 349. — (3) *Iolo Manuscripts*, p. 105, num. 109. — (4) *The Mypyrian Archatology of Wales*, ed. cit., p. 428, col. 2. — (5) *Iolo Manuscripts*, p. 126. — (6) Rice Rees, *An Essay on the Welsh Saints*, p. 103; Baring-Gould and Fisher, t. I, p. 91. — (7) *Iolo Manuscripts*, p. 128. — (8) J. Loth, *Les Mabinogion*, t. II, p. 348, n. V. — (9) *Ibid.*, n. III, IV et VI. — (10) *Ibid.*, et annot. 11. — (11) Iis nempe quos edidit ex cod. Harl. 3859, post Egerton Phillimore, J. Loth, t. c., p. 370-82. — (12) « Dunaud rex moritur », J. Loth, op. c., p. 373; in cod.

manu scripto Scaccarii regii « Dunaut filius Pabo obiit », Henry Petrie, *Monumenta Historica Britannica*, t. I (1848), p. 831. — (13) Vid. p. 144, annot. 6. — (14) *Iolo Manuscripts*, p. 126-27. — (15) Haec fere omnia expressimus ex R. Rees, *An Essay on the Welsh Saints*, p. 167-68. — (16) Owen Jones, *Cymru yn hanesyddol*, t. II (1875), p. 14. Animadvertit R. Rees, *An Essay on the Welsh Saints*, p. 168, annot., ecclesiam Llanbabo nunc subiectam esse ecclesiae Llanddeusant; haec dedicata est SS. Marcello et Marcellino, O. Jones, op. c., p. 63, col. 1: cf. supra, p. 6. At nonnisi post longum tempus templa dicari coepta sunt in Cambria sanctis extraneis. Unde perspicuum est aliquid in illis diebus esse immutatum, ut antiqua ecclesia recentiori subiceretur. Vix tamen possumus animum inducere ut cum d. v. R. Rees credamus tumulo superstructum esse sacellum diu post sextum a Christo saeculum, et S. Pappo dicatum: qui enim fieri potuit ut nullum templum ipse S. Pappo exstrueret, si quidem ipse locum incoluit? Ceterum reliquias e Llanerchymedd ad Llanbabo esse translatas (vid. infra) multo minus probabile est. — (17) « Pabo hamlet, Hill and Station », Baring-Gould and Fisher, t. IV,

5.

Uxoris eius nomen. 5. Ferunt nonnulli uxorem eius fuisse Gwenasedd filiam Rhuſon-i Rhyfoniog filii Cynneddaf-i principis (1). Alii tamen Gwenasedd non S. Pappo sed huius filio Sawyl nupsisse dicunt, et fortasse verius (2). Ex illa enim natus est S. Asaph, cuius pater nominatur Sawyl in documentis aliquot non spernendae antiquitatis quae Rice Rees nondum noverat (3). In Rowlandianis scriptis, de quibus diximus, legitur fuisse S. Pappo yr hynaf o seiniau Mon, id est antiquissimus e sanctis Monae insulae (4), ubi Pappo regis nomen in ore vulgi etiamnum celebratur (5).

Monae insulae traditiones. 6. S. Pappo ossa posita fuisse videntur in vico Llanbabo, Monae insulae, ubi, dum sepulturae locus effoditur, lapis sepulchralis erutus est (6) sex pedes altus (7). Qui lapis insertus fuit in parietem interiorem ecclesiae ad austrum navis. Cernuntur in eo vestigia litterarum, quas anonymus quidam Cambrensis Langobardicis existimavit (8). Idem vir eruditus anno 1870 eas sic legere sibi visus est: HIC : JACET : PA /// POST : PRUD : /// (9). Maluit alius : HIC JACET PABO PRUD CORPUS /// TE /// PRIMA (10), alius : HIC JACET PABO POST PRUD. CORPUS /// TE /// PRIMA (11). Ex imagine quae in Archaeologia Cambrensi

edita est (12) non minus probabiliter tegetis : HIC : D JACET : PA ///. POST : PRUD : UT /// /// ET : MM /// 7. Effigiem lapidi insculptam refert v. d. Matthew Holbeche ad tempora Eduardi III, quo regnante, circa an. 1350, ecclesia parochialis a solo instaurata est (13). Artijer, idem fortasse qui S. Iestyn effigiem insculpsit in ecclesia Llanestyn, in eadem Mona insula (14), hominem expressit, longa veste indutum, dextera sceptrum gerentem, eiusque frontem simplici diademate redimivit tribus lili floribus distincto. Itaque saltem a dimidiato saeculo XIV vulgo creditus est S. Pappo in Llanbabo iacere. Unde orta haec fama et quando, incertum. Huic sane non fauet cantilena in qua S. Pappo cum uxore sua in Llanerchymedd quiescere dicitur :

Yn Llanerch' medd ym Môn, do,
Y claddwyd Brenin Pabo,
A'r frenhines, deg ei gwedd,
Ym mynwent Eglwys Ceidio (15).

Latine : In Llanerchymedd in Mona insula sepultus est Pappo rex, et regina, specioso vultu, in coemeterio Eglwys Ceidio.

p. 38. Sunt qui putent (Owen Jones, *Cymru yn hanesyddol*, t. II, p. 393, col. 1) S. Pappo, forsitan paulo post initam religiosam vitam, ibi vixisse cum S. Constantino Benedicto (Custennin Vendigaid; hic nomen parochiae dedit, Llangystennin). At Constantini illi Cambrenses tot sunt tamque densis tenebris offuscati, ut item dirimere non possimus. Et in Armorica non pauca sunt locorum nomina in quibus latet vocabulum Pabu; horum catalogum exhibet J. Loth, *Les noms des saints bretons*, in *Revue Celtique*, t. XXX (1909), p. 154. At cum in his regionibus S. Tutgualus passim Pabu vocetur, haec omnia a Pappo Post Priten aliena esse videntur. Cf. Baring-Gould and Fisher, t. c., p. 38, annot. 2, et p. 274. — (1) Quod temporum rationi magis consonum esse arbitratrice Rice Rees, *An Essay on the Welsh Saints*, p. 125. — (2) *Iolo Manuscripts*, p. 125. — (3) Adis quos commemorant Baring-Gould and Fisher, t. I, p. 177, annot. 2 et 3; t. III, p. 182, annot. 4; t. IV, p. 175. Attamen procul abest ut ea omnia certa sint, cf. t. I, p. 178. — (4) Haec arbitramur, ex Rowlandi *Mona Antiqua Restaurata*; sed liber hic deest in quo exquiramus. — (5) Baring-Gould and Fisher, t. IV, p. 38. — (6) Haec Lewis Morris (seu Morus) scriptor praeclarus et in Mona insula ortus: « There is a tradition at Llanbabo that Pabo and a son and daughter of his were buried in that churchyard, over against certain faces cut in stones to be seen to this day in the south wall of that church, and against one of these faces Pabo's tombstone

was by accident discovered in Charles II's time, as I was informed in 1730, or thereabouts. » (*Celtic Remains*, p. 339-41). Lapis, quem fonsor dolabra laeserat (Owen Jones, *Cymru yn hanesyddol*, t. II, p. 393, col. 1), delineando expressus est primum, nisi fallimur, in editione altera operis Rowlandiani cui titulus *Mona Antiqua Restaurata*, anno 1766; tum pulcherrime in *Archaeologia Cambrensi*, 4th Series, Vol. V (1874), adversus pag. 111; in J. O. Westwood, *Lapidarium Walliae* (1876-79), p. 193. Photographice tandem Baring-Gould and Fisher, t. IV, adversus pag. 38. — (7) Baring-Gould and Fisher, t. IV, p. 39. — (8) *Archaeologia Cambrensis*, 6th Series, Vol. VIII (1908), p. 95. — (9) *Ibid.* — (10) Owen Jones, *Cymru yn hanesyddol*, t. II, p. 14, col. 2. — (11) *Ibid.*, p. 392, col. 1. — (12) *Ibid.*, 4th Series, Vol. V (1874), p. 110-12. (13) *Archaeologia Cambrensis*, 4th Series, Vol. V (1874), p. 112. — (14) Baring-Gould and Fisher, t. IV, p. 39. — (15) Baring-Gould and Fisher, t. c., p. 39 et *ibid.* annot. 3; cf. Owen Jones, *Cymru yn hanesyddol*, t. II, p. 88-89. Maluit Baring-Gould et Fisher recipere versus quartum paulo absimile, ut fiat: A'r frenhines, deg ei gwedd, Yn Llanerchmedd mae hono. Latine: Et regina, specioso vultu, est in Llanerchymedd. Hoc tamen nobis minus placet; ex ipsa enim verbum consequentia, reginam non uno loco sepultam cum viro suo iacere intellexeris. Eglwys Ceidio sacellum est subiectum ecclesiae Llanerchymedd.